DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA
QUAM
DIVINA ANNUENTE GRATIA,
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. PETRI van MASTRICHT,
S.S. Theolog. Doctoris, ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Ultrajectina Academia Profeſſoris ordinarii, digniſſimi,
NEC NON
Ampliſſimi Senatus Academici conſenſu & almæ Facultatis Medicæ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS
Summiſque in *MEDICINA* honoribus & privilegiis rite ac legitime conſequendis.
Publicæ Eruditorum diſquiſitioni ſubjicit
GEORGIUS DIETERICUS Schultz, Hamburg.
Die 27 Aprilis loco horiſque ſolitis.

ULTRAJECTI,
Stanno *APPELARIANO*, 1682.

VIRO

Plurimum Reverendo atq; Clariſsimo,

D. M. JOACHIMO Schultzen,

Eccleſiaſtæ Hamburgenſi meritiſſimo,

Parenti, filiali amore & honore æternum proſequendo

Diſſertationem hanc inauguralem,

d. d. d.

GEORGIUS DIETERICUS Schultz.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA.

Præfamen.

QUamprimum jucundiſſimam ſpecioſiſſimamque hujus orbis lucem, à ſapientiſſimo Creatore conditam, ingredimur, quiſque noſtrum, ſeſe ſpatioſiſſimum conſcendiſſe ſimul theatrum miſeriæ, lacrymis fatetur acerrimis. Neque id injuriâ. In ipſo enim homine miſeriarum plus ſatis eſt. Caput ſi ſpectes, ſeu pedes intuearis, aliamve, vel minimam corporis particulam: nullam à dira morborum tyrannide invenies ullo privilegio exceptam. Certe totus homo nil eſt niſi morbus. Tum verò nulla ætas, nulla regio, nnllaque anni & temporis conſtitutio, ab innumeris hujuſmodi ſollicitudinibus, truculentiſſimiſque morborum generibus, ac miſeriis immunitatem ſibi polliceri poteſt. Tenellus ipſe infans in utero materno ſua experitur fata: Vel morborum myriades, dolorumque phalanges in illius, dum in uteri ergaſtulo detinetur, conjurant perniciem. Cum felici enixu liberiori aura frui incipit: à morborum malorumque ſtatim excipitur caterva, eaque ipſum ad extremum uſque vitæ terminum comitatur. Felices ergo nos dicimus meritò, ſi, quando aliquo ex tortorum familia morbo tentamur, per Medicinam juvari queamus. Feliciores nos judicamus: minimò cum morbo urgemur. Ipſa ſi fruamur ſanitate: feliciſſimos nos rectè cenſebimus. Siquidem inter terrena hujus vitæ bona ſibi primum vendicat locum ſummo jure ſanitas: ſine qua nemo vitam ſuam pro voto traducere poteſt. Optime Lyricorum Poëtarum princeps canit.

Si ventri bene, ſi lateri, pedibuſque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.

Ceterum præ multis aliis morbis, minimis, medioximis, maximis, morbis capitis, medii & imi ventris, dyſenteria conſiderationem meretur: medicamque manum poſtulat. Hæc enim una ſufficit ad auguſtas domus, urbes & regiones vaſtandas. De ea jam plura inauguralis ſpeciminis loco. Secundet Deus T. O. M. inſtitutum.

THESIS I.

DYſenteriæ *nomen*, à Græca proſapia oriundum deſcendit ex particula δυς, quæ in genere difficultatem, in ſpecie malitiam denotat, & ex voce τὰ ἔντερα, inteſtina. Ipſa hęc derivatio indicat, notari hac voce cum ſymptoma, tum partem affectam, difficultatem puta inteſtinorum. *Cœlius Aurelianus* id jam docuit libr. 4. cap. 6. A *difficultate officii*, dicit, *paſſio hæc accepit nomen.* *Cornelius Celſus* dyſenteriam ait eſſe *tormina*, quibus inteſtina torquentur, ſic & ille vim vocis ſatis exprimit. *Dioſcorides* δυσεντερικὸν πάθος dyſenteriam nominat. *Paracelſo* morbus dicitur diſſolutus, German. die rothe Ruhr / Belgis de roode Loop / het root Meliſoen / Bloetgang / ob cruentam ſcilicet alvi excretionem. Cum verò mucoſa ac ſeroſa iiſdem cum ſymptomatibus excernuntur tum dyſenteria vocatur die weiſſe Ruhr. vid. *Williſ. Pharm. rat. ſect. 3. cap. 3.*

II.

Veteres dyſenteriam abuſivè ſumſerunt pro omni alvi fluxu. Accuratius accipitur pro ſolo alvi fluxu inteſtinis moleſto, idque vel *in lato* vel *in ſtricto* ſenſu. *Late dicta* dyſenteria eſt in genere quodvis alvi profluvium cruentum. Hujus tres dantur ſpecies. Prima eſt αἱμαληρής. Cum ſcilicet naturales evacuationes, quę per nares, uterum, ſectionem venæ, vel exercitationem fieri ſolebant, ſupprimuntur, aut omittuntur: tum ſanguis per arteriarum orificia erumpit in inteſtina, ibique quærit exitum. Hinc eſt cruentus alvi fluxus. Cum item artus cuiquam præciduntur, non ſolet raro conſimilis ſequi fluxus. Hildan. centur. 2. obſervat. refert de juvene exemplum, qui tibiis amputatis, poſt curam dyſenteria lethali fuerit correptus. Altera dicitur ἑπατική ſive fluxus hepaticus: cum ſanguis tenuis & aquoſus, loturæ carnis ſimilis, excernitur. Tralliano hęc dyſenteriæ ſpecies audit Rheumatica, eò quod humores ad inteſtina profluát. Chylus puta jam ſanguinoſus aut etiam ſanguis nimis ſeroſus & à ſtatu ſuo naturali dehiſcens ad inteſtina refunditur, atq; ita excernitur. Ob horum enim acrimoniam in receptaculis retineri nequeunt, ſed ab archęo noſtro foras propelluntur. Plerique in hoc fluxu vitium accuſant hepatis, hujuſque debilitatem volunt eſſe fluxus cauſam. Verum ille nihil eſt aliud: quam fluxus hęmorrhoidalis va-

vaſorum ſedis. Μελαγχολική tertia eſt. Cum ſanguis fœculentus, piciſque inſtar nigricans ejicitur. Salutaris hic eſt fluxus: pręſertim ſi abſque dolore effluat ſanguis, nec grumeſcat, nec, effuſus in terram, ferveat. Tum certè cum ægro res bene ſeſe habent, morbique graves declinari ſolent. Quod ſi contra ſanguis iſte excrementitius, in anfractibus & replicationibus inteſtinorum diu ſubſederit: tum acrior ille afficitur, malignus evadit & *ſtricte dictam* cauſat Dyſenteriam, de qua ſola ſermonem nunc inſtituemus.

III.

Ne autem in progreſſu ad haſce vel illas affectuum conſimilium ſpecies evagemur *definitionem* affectus hujus primò omnium dabimus. Dyſenteria eſt exulceratio inteſtinorum, orta ex materia erodente conjuncta cum frequenti cruenta, purulentaque alvi dejectione, cum dolore acerbo, cumque torminibus vehementibus.

IV.

Morbi hujus *quidditas*, ſeu formalis ratio, eſt ipſamet inteſtinorum exulceratio, alvum dejiciens. Cum verò inteſtina nunc magis, nunc minus exulcerentur: hinc tres dyſenteriæ ſtatuuntur *gradus*, ſecundum magis & minus differentes. Primus eſt, quando mucilaginoſitas inteſtinorum, exiguo cruore pureque perfuſa, excernitur. Secundus eſt cum interna inteſtinorum ſuperficies membranoſa ramentorum inſtar excerni videtur. Quando verò ipſorum inteſtinorum abraſa cernitur ſubſtantia carnoſa, ad tertium jam gradum malitiæ dyſenteria pervenit, eſtq; ut plurimum lethalis. Sic enim *Hippocrates* 4. *Aphoriſmo* 26. *Si dyſenteria laboranti, veluti carunculæ dejiciantur: lethale.* Atq; tum dyſenteria vocatur facta & confirmata: quę ante ſolum dicebatur fiens. Nunc verò magis, nunc minus exulcerari inteſtina, teſtatur quoque *Matthæus de gradibus*: qui 3. *Pract. cap.* 12. Se quendam Papiæ vidiſſe, aſſerit, cui inteſtina ita fuerint exulcerata: ut per ulcus alvi fœces, in abdomen excernerentur.

V.

Neque ſolum gradus dyſenteriæ, ſed & aliæ quędam ejus *differentiæ* notari merentur. Namque dyſenteria alia eſt ſimplex, alia compoſita. Alia eſt intenſa, alia remiſſa. Alia continua eſt, periodica alia. In-

teſtinorum affectorum reſpectu etiam variat. Aliquando enim tenuium inteſtinorum ſubtilior læditur membranoſitas: aliquando verò craſſorum firmiores afficiuntur tunicæ. Interdum inteſtina patiuntur conjunctim, interdum ſingula ſeorſim. Modò per eſſentiam, modò per conſenſum. Cauſam dyſenteriæ ſi ſpectes: etiam hic aliqua occurrit diverſitas. Nunc enim oritur à bile, nunc à pituita particulis acidis imprægnata peregrinis. Porrò dyſenteria aliquando eſt epidemica & maligna in multos eodem tempore ac loco ſæviens, aliquando privata & benigna, hunc illumvè tantum invadens. Nunc eſt contagioſa, nunc adſtantibus nullum adfert incommodum. Hæ ſunt dyſenteriæ differentiæ.

VI.

Partem quod concernit *affectam*: tota inteſtinorum fiſtula hoc morbo laborare poteſt. *Foreſtus* enim meminit cujuſdam *libr.* 22. *obſ.* 33. in quo per omnia inteſtina ſerpſerit exulceratio. Communiter tamen non ſimul utriuſque generis inteſtina, ſed interdum tenuia ſola, interdum nonniſi craſſa inficiuntur. Atque adeò ſtudioſè id indagandum eſt Medico, (ut inferius in ſignorum tractatione dicetur) quænam eorum in hoc vel illo dyſenterico afficiantur. Vid. *Hollerius. Falcoburgius. Thom. Bartholin. cent. hiſt. anatom.* vj. *hiſt.* 2. *&c.* Affirmant illi, dyſentericorum cadavera, cultro anatomico ſubjecta, ſcatuiſſe apoſtematibus purulentis, tuberculis & exulcerationibus.

VII.

His prælibatis proximum erit: ut *morbi* noſtri *ſymptomata* conſideremus præcipua. Ita ex iis, tanquam notioribus, latentes in corpore cauſæ clariùs nobis innoteſcent: faciliùſque de ejus curatione judicium feremus. Tantum enim curamus: quantum cognoſcimus. Inter varia igitur, quæ affectum hunc comitantur, ſymptomata ſequentia præcipuè obſervanda veniunt, ſcilicet alvi dejectiones frequentes, purulentæ & cruentæ, tormina, febris, vigiliæ, ſitis ingens, appetitus proſtratus. His accedunt lienteria, ſingultus, cardialgia, animi deliquium, aliaque plura, brevitatis ergo omittenda. Verùm hæc ſymptomata non omnia ſemper & ſimul affligunt ægros: ſed pro cauſarum diverſitate, ſubjectorumque diverſâ conſtitutione, nunc plura, nunc pauciora hominem vexant.

VIII.

Horum ſymptomatum cauſas antequam recenſeam: operæ pretium eſt, *morbi* ipſius *cauſas* primò ob oculos ponere. Inter morbi verò cauſas aliæ ſunt internæ, aliæ externæ. Aliæ ſunt *propinquæ*, aliæ *remotæ*. Ad remotarum claſſem pertinent internæ antecedentes & externæ procatarcticæ.

IX.

Et *propinque* quidem dyſenteriam procreare poteſt: omne illud quicquid vim infert ipſis ſanguinis conceptaculis, quicquid conſequenter inteſtina arrodit, ſanguinis vaſa aperit, & ex iis ſanguinem effluere facit. Apertio iſta duobus potiſſimum fit modis vel per diæreſin, vel per anaſtomoſin. Proficiſcitur verò apertio à ſale reſoluto, ſive à particulis ſalinis tam acidis, quam alkalinis, quæ in inteſtinorum fiſtulam interiorem depoſitæ, aculeis ſuis extrema arteriarum oſtia vellicant, tonum inteſtinorum naturalem invertunt; humores reliquos ſuis tincturis juxta *Paracelſum* fermentant, atque ad inteſtinorum nerveas & carneas partes penetrant. Tandem per hanc eroſionem ingentes efficiuntur lacunæ, iiſque novæ particulæ ſalinæ identidem infunduntur, & majori multiplicantur numero, quàm quæ fuerunt amiſſæ. Particulæ illæ ſalinæ, in ſero abundantes, particulis ſulphureis ramoſis & hamatis concatenatæ & implicitæ, in tunicarum ſubſtantia percolatæ, & à ſanguine ſecretæ, facili negotio tunicis adhærent. Ubi dum morantur, aſſidue fibrillas partium nervoſarum fodicant. Hinc neceſſe eſt partes, partiumque meatus tremulo motu agitari, atque nunc conſtringi, nunc relaxari, conſequenter humorem vaſorum, oſtiis proximum in fiſtulam inteſtinalem propelli.

X.

Sed unde talis ſanguinis acredo? Non rarò illam cutis cauſantur obſtructiones: quæ particulis exituris viam præcludunt. Particulę hæ in glandulas cutaneas repercuſſæ, in vaſis lymphaticis excipiuntur, motuſque beneficio cum lympha in ſanguinem reducuntur. Hic illæ poſtmodum majori copia cumulantur, ac fermentativa vi ſe multiplicant, ſanguinem fundunt & liquidum reddunt, attenuant ſulphur,

fa-

faciunt illud volatile, totamque maſſam ſanguineam. Sanguinem enim ſale volatili alkalino quandoque abundare, in dyſenteria præſertim maligna atque hinc nimis fluidum reddi, ratione & experientia liquet. Namque dyſenteria iſta epidemica facile in peſtem degenerat: peſtis quoque ſæpiſſime fluxum alvi & dyſenteriam habet comitem. Uti ſcilicet ſanguis coagulatus & grumoſus, acoris eſt effectus dicente *Helmontio in pleur. fur.* §. 18. *p.* 393. ita alkalinis ſanguis redditur fluxilis. Hujus rei fecimus experimentum in collegio anatomico acutiſſimi Dni *Drelincurtii* P. Leidenſis celeberrimi. Injecimus enim in canis venam, inciſa jugulari, ſalis armon. ſpirit. Confeſtim ſanguis plane purpureus reddebatur fluxilis: neque ad ullam redigebatur conſiſtentiam.

X I.

Ex cauſis *remotioribus* primò ſeſe ſiſtit *ſupernaturalis*. Equidem Deus O. M. fons eſt omnis boni: ſed & idem velut juſtus judex ſtringit ſæpè gladium iræ, morbiſque cum ſingulos homines, tum integras regiones punit, graviſſimis, ob ſua peccata. Quid quod ex juſto judicio, ſæpè Deus etiam Dæmoni permittit: ut corpora humana turbet atque vexet morbis. Imo vero pientiſſimi Jobi corpus Satanas replevit ulceribus ex Dei indultu: ejuſque viſcera acrimonia mordacis materiæ ſic arroſit, ut efferveſcerent Job. 30. Quis ergò dubitat: quin malignus ille ſpiritus corpus hominum reddere queat dyſentericum, ſi Deus ipſi frenum relaxaverit, in hominum vel pœnam, vel caſtigationem, vel probationem?

X I I.

Inter *naturales* dyſenteriæ cauſas remotas eminet *temperamentum* ſanguineum, in quo particulæ oleoſæ balſamicæ, humidæ quantitate & qualitate ſe invicem probè temperant. In hoc enim temperamento, parum ſi humiditas excedat: putredo, febreſque pûtridæ negotium faceſſent. Habitus etiam corporis athletarum plenior, & obeſior uti lubricus, conſentiente Coo *noſtro ſect.* 3. ita facile fluxu alvino eſt obnoxius. Biliosi porro, morbis uti calidis facile tentantur: ita, ſi acres ſalſique humores in iis nimium augeantur, ſæpius in noſtrum incurrunt affectum.

Inde

XIII.

Inde jam eſt; quod nulla non *ætas*, nulluſque non *ſexus* dyſenteriæ fieri poſſit obnoxius. Puerilis certe æque ac juvenilis, conſiſtens pariter cum ſenili ætate diſpoſita eſt ad fluxus dyſentericos. Et infantes quidem cum dentes ipſis erumpunt; plurimis infeſtantur morbis, febri præſertim & fluxu ventris, non raro in dyſenteriam tranſeunte. In iſto enim motu, naturæ moleſto, inſignes oboriuntur cruciatus, ſomnum prohibentes. Hinc calor excitatur: cujus ope feruntur humores ad gingivas: qui in parte hac affecta ſalſi acreſque redditi, ad inteſtina præcipitantur, & tum ſequitur dyſentericus alvi fluxus in his infantibus. Pueri vero per multum cibum, & rerum n. n. errorem, dyſenteriam ſibi facillime accerſunt. Conſiſtenti ætati ob bilis magnam copiam, dyſenteria negotium faceſſit. Senilis humoribus abundat excrementitiis. Per illos ſanguinis ſulphur obtunditur. dehinc ventriculus debilitatur. debilitatus nequit rite cibos coquere ingeſtos: ſic cruditates cumulantur, ſequuntur profluvia. Manifeſtum jam eſt, dyſenteriam ortum ſuum remote debere temperamento, ætatum, diverſæque conſtitutioni.

XIV.

Amplum inſuper dominium eſt, quod exercent in corpus *ſex res non naturales*: adeo quidem, ut ab ipſis tota fere diſpenſari videatur ſanitas. Inter illas primum locum ſibi vendicat *aër*; quo non poteſt cauſa eſſe univerſalior cum bonæ valetudinis, tum morborum. Purus enim aër optatæ valetudinis, corruptus vero morborum parens eſt. *Mutationes* inprimis *temporum*, docente *Hippocrate ſect.* 3. *aph.* 1. *pariunt morbos*. Jam vero cum autumni tempeſtas præ aliis variet, cum eo tempore calor æſtivus, & frigus approperans hyemale, reciproce humores agitent, & ſubito turbent: hinc autumni potiſſimum tempore dyſenteriæ flagrat incendium. Aër etiam ſiccior & calidior æſtivalis, vel aër nimis calidus & udus; item poſt longam ſiccitatem in humidum converſus aër, bilem & ſanguinem reddit acriorem: hinc in multis Indiæ Orientalis locis dyſenteriæ ſæpius graſſantur, multoſque è medio tollunt. Sin vero aër nimis ſit frigidus cutis obſtructiones, atque porro dyſenteriam cauſatur. Particulis enim tranſpiraturis intercludit viam, ut ſupra theſ. x. diximus. *Medicorum Coryphæus* diverſos effe-

ctus ex parte conſignavit 3. *aphor.* 11. *Si hyems ſicca & aquilonia fuerit, ver autem pluvioſum & auſtrale: neceſſum eſt æſtate febres acutas fieri ophthalmias & dyſenterias, mulieribus præſertim & viris, natura humidioribus.* Quorſum enim humidioris adhuc aëris per meatus corporis poroſos intromiſſio, in corpore cedet alias humido? quidve, calore repentino, humidam tempeſtatem excipiente putredinis excitiet periculum? quid in tanto diſcrimine caloris nativi exſuſcitabit igniculos? qui ceu igne culinario, ad fermentationem & ſuperfluorum ſecretionem utitur archæus. In teſtimonium horum temporis exceſſuum, annum produco præter lapſum MDCLXXXI, in quo Wittebergenſes ac Helmeſtadienſes ſub epidemica dyſenteria gemuerunt.

X V.

Dyſenteria hæc *Epidemica* reſultat ex venenato quodam miaſmate volatili, aërem ſua labe inficiente. Namque miaſma hujuſmodi, per inſpirationem aëris quo nullo temporis momento carere poſſumus, maſſæ ſanguineæ communicatur, eamque inprægnat. Idem quam facile ſalivæ oris miſcetur, cum ea per œſophagum ad ventriculum deducitur, ac naturale hujus fermentum corrumpit. Poteſt quoque aëreum hoc miaſma per poros corporis univerſi penetrare in venas & inteſtina. Miaſmata autem talia ex terra producta, elevata, aërique noſtro miſta, in ſe continent particulas varias, ſalinas in primis & ſulphureas. Quod videre eſt in locis quibuſdam: ubi dyſenteria morbus familiaris & endemius eſt. Illi enim multo ſulphure & mineris gaudent plurimis: ex quibus ſimiles halitus elevari ſulphureos neceſſe eſt. Unde adeo incolarum maſſa ſanguinea, particulas ſalino ſulphureas & venenatas, in aëre exiſtentes, ac conſequenter dyſentericam labem, ſubterfugere non poteſt.

X V I.

Huc pertinet *contagium* dyſentericum intra eos, cum quibus converſamur, latens. Id in malo hoc ovo excludendo, maximos etiam facit nixus. Namque miaſmata ex corpore dyſenterico vivo nobis propinquo: item ex dyſentericis cadaveribus in aërem halitus ſpecie diffuſa, reſpirandoque attracta inteſtina afficere queunt. Saliva etiam dyſenterici, margini poculi vel alterius vaſis adhærens, ſi ex eo bibamus nocumentum poterit afferre. Qui alvum denique exoneraverit eo in

loco

loco in quo dyſentericorum latent excrementa: vapores eorum peſſimos per inferiorem gutturem facile hauriet cum valetudinis noxa. Horum exempla vid. apud *Foreſtum* & *Schenckium in obſervat.*

XVII.

Quid de *aſtrorum* dicam *influxu?* Inter cauſas dyſenteriȩ remotas non immerito illum referimus. Negari enim non poteſt ab aſtris ſæpe in his inferioribus provenire humores noxios, conſequenter morbos. Hinc qui in aërem liberum nunquam venerunt infantes, quique ſolo lacte materno aluntur, dyſenteria interdum laborant.

XVIII.

Quæ *ore ſumuntur* vel qualitate vel quantitate peccantia: diſpoſitionem imprimunt facile nocivam. Quando enim alimentis adhærent aëris particulȩ ſalinæ volatiles, impuræ & malignæ: poſſunt illæ humores bonos facile in acres mordaces convertere, iiſque putredinem inducere. Cibi inſuper δύσπεπτα, καὶ κακόχυμοι chylificationem lædunt. Chylificatio vero læſa humores peregrinos præter naturales gignit, coacervat, ſicque dyſenteriæ fores aperit. Quod ſi forte in cibo ſumendo per exceſſum committatur error: multum ille confert ad cruditates, acores, & ſordes in primis viis atque vaſis, obſtructiones item, & alia oriuntur mala. Quin imo licet cibi optimi ſi non in debita ſumantur quantitate, nec illi ſatis maſticentur, accerſere poterunt diarrhœam, poſt dyſenteriam *ſenis noſtri documento.* 1. *aph.* 4. Cæterum ex omnibus ciborum generibus fructus horæi, impuro & ad putredinem parato ſucco conſtantes, dyſenteriæ maximam præbent anſam. Hujus generis ſunt pruna, pyra, mala dulcia, cruda, mala perſica, uvæ, nuces, fraga, melones, cucurbitæ & fungorum genera. Dulcia item omnia, ſalita, aut fumo indurata, ac hujus modi alia, cum bilis acredinem marociamque, tum pituitȩ ſalſedinem acuunt, & augent, ſua acredine inſuper nimia inteſtina eorumque valvulas vellicant & rodunt. Non minus è potulentorum uſu diſpoſitio naſci poteſt nociva. Potus enim quamvis ſaluberrimus nimia quantitate ingurgitatus, valvulas inteſtinorum laxat: primumque diarrhœȩ mox dyſenteriȩ locum facit. Potus porro impuriores, non rite defœcati, liberaliuſque aſſumti, uti muſtum, hydromel cerevisia dulcis & recens, vinum fructuarium, vel limoniatum cum ſacharo paratum, in cauſam

dyſenteriæ morbificam convertuntur faciſſime. Sic aquæ in plumbeis vaſis deſtillatæ, aut per plumbeos & veteres longiores canales derivatæ: acetum item in plumbeo vaſe conſervatum inteſtinis non minorem corruptionis, & eroſionis inferunt noxam. Namque plumbum ob admixtam ceruſſam, plurimo ſale ſcatet acri ac corroſivo. Inter aſſumta nociva ſe quoque ſiſtunt catarctica vehementiora antimonialia, helleborina, eſulina, colocynth. aqua fort. Illa enim cum a corpore noſtro ſint aliena plane, aliquamdiu quidem in eo latere, adſimilari tamen nunquam poſſunt. Unde tandem particulę uniuntur & materia ita coacervatur ut archæus irritatus, per alvum venenum illud propellat. Ubi tum ab his rebus inteſtina exulcerantur. confer. *Zacutum* libr. 1. prax. adm. obſervat. 18. Conſiderandæ etiam veniunt reſinæ: quę, firmius inteſtinorum parietibus ſe agglutinantes, & acrimonia ſua eadem exſtimulantes faciunt, ut glandulæ miliares lympham ſuam acrem, mali matrem, profundant. vid. *Platerum* in obſ. Cęterum non ſolum cibus, potus aliaque ore ſumta, ſed & medicamenta exterius applicata fructus ferunt dyſentericos, illinitiones præſertim hydrargyri intempeſtive factę. Uti enim malignus & corruptus humor in lue venerea, vi hydrargyri ad os propulſus, gingivas exulcerat, ſalivationemque movet, ac expuitiones: ſic ad inteſtina ſi defluxerit, irritat illa & exulcerat. Generat adeo dyſenteriam.

X I X.

Aquæ ni moveantur: corrumpuntur facile. Ita & per *quietem* torpidam ſanguis vappeſcit, lenteſcit, corpus flacceſſit, oriuntur obſtructiones, impeditur tranſpiratio, humoreſque cumulantur excrementitii. Si contra in exercitationibus etiam excedatur modus, ut in ſaltationibus, equitationibus, curſu, ſpiritus avolant. Hinc lerna malorum & facilis in dyſenteriam lapſus.

X X.

Vigiliæ nimiæ cum ſpiritus abſumant, coctionemque impediant dyſenteriam generare queunt. Neque nil plane confert ad dyſenteriam; ſi ſtatim à cibo ingeſto capiatur *ſomnus*.

X X I.

Quantum poſſint ad dyſenteriam progignendam immoderatiores *animi affectus*: vix credideris. Ira enim vehementior bilem reddit ferociorem. Mœror nimius, timor ſubitaneus, conſternatio gravis

ſuc-

ſuccos reddunt acriores. Sic fluxus facilitatur dyſentericus! ſic illius ponuutur rudimenta!

XXII.

Excreta & retenta, debito modo ſibi invicem non reſpondentia, ſuum quoque ſymbolum ad dyſenteriæ procreationem conferunt. Evacuationes enim ſive ſint ſenſibiles, uti fiunt per urinam, ſudores, mucum, fluxus hæmorrhoidales &c. ſive inſenſibiles conſuetæ ſi ſupprimantur, aut modum non ſervent: id multum ad dyſenteriam valere, ipſa certe docet experientia.

XXIII.

Ex *rebus præternaturalibus* dyſenteriam plerumque producunt febres malignæ & ardentes, variolæ & morbilli, pleuritis, cholera, dyarrhoea, inflammatio inteſtinorum. In quibus dyſenteriæ ſymptomaticæ frequenter notantur, & quarum prognoſis hinc inde apud Hippocratem videre eſt.

XXIV.

Vidimus ipſius morbi cauſas. Paucis quoque *ſymptomatum cauſas*, quæ th. 8. recenſuimus, enodemus. Hic primo ſeſe offerunt *dejectiones purulentæ ac cruentæ.* Cauſam earum ſupra ſatis diximus eſſe inteſtinorum exulcerationem. Nolumus crambem recoquere.

XXV.

Inter ſymptomata ſecundo loco numerantur *tormina* ſive dolores abdominis ſummi, excretionem proxime præcedentes, & comitantes. Dolores illi nihil ſunt aliud quam ſenſus contorſionis inteſtinorum. Motus ſcilicet inteſtinorum periſtalticus eſt naturalis: quo, inſtar lumbrici cujusdam, deſuper circulariter conſtringuntur inteſtina. Hic ergo motus, ſi intenditur, & evadit convulſivus: magno cruciantur dolore inteſtina, quia naturalis ipſorum motus degenerat in præter naturalem. Præſtat tamen dyſentericos tormina experiri, quam ſenſu contorſionum carere. Quibus enim dyſentericis ſedes cruentæ ſunt absque doloribus (cujus modi exempla ſibi obvia fuiſſe olim excell. *Wedelius in illuſtri ſalana P. P. famigeratiſſimus, Præceptor quondam meus ſumme ſuſpiciendus in collegio referebat*) illi leuius videntur ægrotare ſed ægrotant peſſime & moriuntur plerumque.

XXVI.

Febrem cauſantur humores ex inteſtinali ſanguinis efferveſcentia orti. Hi humores, particulis ſylveſtribus rigidis ac ſalinis impraegnati per vaſa lactea, ad ductum thoracicum, ad maſſam ſanguineam delatæ, ac cum ipſa junctæ, ac efferveſcentiam ſanguinis majorem p. n. inducentes ejus mixturam turbando, febrim excitant. In mitiori dyſenteria febris abeſſe poteſt, ſed id eſt rariſſimum. Namque poſt aliquot dies communiſſime accedit febris & ob vehementiam doloris & ob inquietudines.

XXVII.

Vigiliæ demonſtrant, halitus acres volatiles ex prædicta efferveſcentia ad caput, cerebrumque deferri, ibidem nervorum principia irritare, cum ſpiritibus in organa influere, inordinate ea movere, archæumque conturbare.

XXVIII.

Sitis originem ſuam ducit ab effuſione ſanguinis nimia: per quam corpus exſiccatur, humores minuuntur & exhauriuntur. Halitus etiam ſalſi, ad os faucesque aſſurgentes, omnem abſumunt earum humorem. Imo ſaliva ipſa, de ſanguinis ſalſitate participans, dum ſanguinis circulatione ad glandulas maxillares ac parotides, ulteriusq; per ductus ſalivales ad papillas nerveas linguæ adfertur, ſitim excitat majorem & ariditatis ſenſum ori infert: ut ut alias ſit nata, id humectare.

XXIX.

Appetitum proſtratum deduco à fermento ventriculi corrupto. Halitus enim, ex inteſtinis, præſertim tenuibus elevati, acidum ventriculi naturale corrumpunt & enervant. Unde & liquores acidiuſculi, ſtomachi nervos & fibrillas paris vagi blande vellicantes tanti & tales non adfluunt, quales ad famem naturaliter inducendam requiruntur.

XXX.

Lienteria ſubſequitur. Cauſa ea eſt: quod particulæ ſalinæ ſpiculis ſuis angularibus ventriculi tunicam ad ſui contractionem violenter vellicant, illum ad ejectionem ciborum præmaturam incitant.

Sin-

XXXI.

Singultus oritur ex humoribus acribus, in ventriculo contentis, vel ex halitibus inteſtinorum ab effervеſcentia humorum confluentium ſuſcitatis. Illi enim vel per ſuam ſuperioris orificii ventriculi arroſionem ambiens ſimul diaphragma in conſenſum trahunt: vel ipſas diaphragmatis ſenſiles partes ita vellicant, ut motu convulſivo per intervalla ſe contrahant.

XXXII.

Cardialgiam pariunt halitus acres acidi, ad ſuperius ventriculi orificium aſſurgentes: dum illud externe ſpiculis ſuis pungunt & diſtendunt: Id enim ſenſile admodum eſt, ob nervorum copiam, qui à ſexto pari eo feruntur. Hinc dolor eſt acutiſſimus quaſi urens & pungens cum anxietate.

XXXIII.

Virium omnium *debilitas* & proſtratio ſymptomatum claudit agmen. Ea nimiam ſanguinis effuſionem ſequatur neceſſum eſt: ſiquidem in ſanguine vivido corporis conſiſtunt vires. Nemo etiam inficias ibit, vires hominis collabi: cum ſpiritus per ſymptomata varia conſumantur, cum chylus in vaſa lactea non diſtribuitur, adeoque nutritio impeditur. Id vero omne in affectu contingit dyſenterico.

XXXIV.

Symptomatum cauſa expoſita, ad ſignorum explicationem me confero: quæ duplicia ſunt, diagnoſtica & prognoſtica. *Diagnoſtica ſigna* ex ægrorum relatu, ex ſymptomatibus quoque hunc affectum concomitantibus petuntur. Quum etiam ad curam recte inſtituendam maxime conferat ſcire, quænam inteſtina, craſſane an tenuia ſint affecta, idque vero dignoſcere ſatis ſit difficile: hæc dabimus ſigna. Dolor acutiſſimus circa umbilicum, ut aculeis ſe pungi conquerantur ægri: oculos animumque ad inteſtina advertere oportet tenuia. Tenuia enim membranoſa ſunt magis, ſenſuque pollent exquiſitiori. Ex vomitu etiam, appetitu proſtrato, & nauſea certiſſimum eſt inteſtina ſuperiora laborare. Longior item alvi poſt tormina excretio, cum ſuperiora inteſtina

mor-

morbus affligit. Alvi fœces tum ob loci affecti à ſede diſtantiam, ſanguine & pure exquiſite ſunt permiſtæ. In craſſis contra ſi lateat hoſtis: dolor ægrotantium remiſſior erit & obtuſior, tenuibus enim ſunt carnoſiora. Tum quoque poſt tormina alvi cita fit excretio, cruor item purulentaque materia alvi excrementis ſupernatant. Contagioſa porro ac maligna dyſenteria his ſe prodit notis: Vires corruunt ſubito, deliria accedunt, excrementa fœtent peſſime, corpus indies extenuatur, multi alii afficiuntur & intereunt. Quam altas autem egerit radices dyſenteria in ægro: excreta manifeſtum faciunt. Vide ſupra th. IV. de gradibus dyſenteriæ diverſis. *Signa* etiam quædam *diſtinctiva* addere lubet: quæ in certiorem dyſenteriæ notitiam ducunt. Si enim in curatione procedere velimus feliciter: omnes aliæ fluxuum alvi ſpecies à dyſenteria diligenter erunt diſtinguendæ. Diſpiciendum igitur eſt ante omnia: num fluxus ſit criticus, an vero ſymptomaticus, ne forte natura in ſuo opere turbetur. Fluxus porro hæmorrhoidalium interiorum à dyſenteria eſt diſtinguendus. Illi nulla præit exulceratio, nullus eum comitatur dolor, ſanguis ibi ſolum ob copiam & qualitatem ſuam pravam evacuatur. Cum dyſenteria vero res aliter eſt comparata. Diſtinguitur ab abſceſſu dyſenteria, hac ratione. Abſceſſum dolor pulſatilis, juxta locum affectum, præcedit, nec morſus adeſt, nec decurſus. Ad illius eruptionem puris quaſi eliquationes conſequuntur. Sic excretionis modo diſcernitur dyſenteria à teneſmo. In teneſmo enim aſſidua & inplacabilis deſidendi egerendique eſt cupiditas, eaque ſæpius inanis. Materia quippe ibi magis eſt craſſa & lenta. Nec quicquam ferme aliud atque mucoſum, aut ſubcruentum exit, cum teneſmus hominem urget. Cœliacam, lienteriam & diarrhœam facile diſcernas à dyſenteria. Nullus enim cruor excrementis eſt in his affectibus permixtus: nec tormina ventris ita ægrotum cruciant. Poſſunt tamen in dyſenteriam mutari. In genere de cruentis alvi excretionibus non dyſentericis obſervandum eſt, ſanguinem ibi ut plurimum copioſiorem & puriorem excerni.

XXXV.

Prognoſin ſi expetant ægri & adſtantes: in ea danda ſimus circumſpecti. Quippe divinioris eſt contemplationis, morbi tempus fixum & terminationis modum prævidere, ejusdemque recte prædicere eventum. In morbis etiam quandoque ſunt monſtroſitates & miracula, ut

dixit

dixit *Averroes.* Ne ergo Medicus, ut ſuæ æſtimationi recte conſulat, quicquam primis viſitationis diebus de morbi longitudine, brevitate, aut eventu abſolute pronunciet. Dicendum tamen eſt quicquam de ſignis eventus dyſenteriæ prognoſticis. Magnus re vera & gravis morbus eſt dyſenteria & curatu difficillimus: quando in inteſtina magno numero confluunt varia recrementa acria & putrida. Partium enim exulceratarum conſolidationem valde impediunt. Lethalitatis tamen periculum latitudinem admittit. Tum vero primus dyſenteriæ gradus pronunciandus eſt curabilis. Secundus curatu difficilior. Tertii eventus utplurimum eſt funeſtus: cum etiam, febrem aliaque ſymptomata habet comites. Etenim ſanguis, longa mora velut in muriam mutatus, non facile ad priſtinam dulcedinem, & amicum lentorem reducitur. Unde Senex noſter *Cous* 6. aphor. 3. inquit. *In longis inteſtinorum difficultatibus cibi faſtidium malum, & cum febre pejus. Si veluti carunculæ dejiciantur, lethale* 4. *aphor.* 26. Periculoſiora etiam ſunt tenuium inteſtinorum ulcera craſſorum ulceribus. Subſtantia enim tenuium eſt nervoſior, tunicam habent tenuem, multaque illuc deferuntur vaſa, pancreaticus inprimis & ductus cholodochus qui in duodeno in unum coëunt. Inde adeo *Hippocrates* ſic judicat; *ſi tenue inteſtinum diſciſſum fuerit non coaleſcit, idque ob venarum copiam.* Quibus porro adeſt teneſmus & hiatus ani, ut clyſteres relabantur, vel quos affligit cum ſedis adſtrictione: raro evadunt. Innuunt enim illa, affectum paralyticum inteſtino recto eſſe inductum. Signa quæpiam alia ſuggerit *Hippocrates* 4. *aphor.* 22. Excitioſam enim valde eſſe pronunciat evacuationem, quæ citra antegreſſa coctionis ſigna ſponte incipit à bile atra. Ait eſſe fere lethalem, cum nihil differat à cancro exulcerato. Quod ſi autem evacuationem præceſſerint coctionis ſigna, maxime bona habetur, corpuſque à natura expurgatur. Dyſenteria ſi ex pituita acri, ac ſalſa promanavit periclitatur æger de vita. Illa enim lenta admodum eſt, moraque ſua vehementius inteſtina exulcerat. At quæ ex fructibus horaris, ſimilibusque cauſis non naturalibus externis ortum traxit: meliora hactenus promittit. Præ cæteris contra ſpem curationis fallit epidemica, quia cum aëre ſemper novum attrahitur miaſma per reſpirationem. Imo vero maligna illa dyſenteria quæ cum inſigni putredine, fœtore, aut virium diſſolutione conjuncta eſt brevi plerumque jugulat ægros. Qui ex effectu dyſenteriæ prognoſtica deſiderat ſigna obſervet ſanguinis pu-

ri effuſionem, febrim, cibi faſtidium, vomitum, dejectionem continuam & ex his effectis periculum inſtare, dijudicet, gravius. Quo magis enim laborat ſtomachus: eo periculoſior eſt morbus. Quod ſi vero vomitus abeſt, & ægri alimenta ſumunt cum appetitu: non eſt lethalis hactenus dyſenteria. Vomitus ſcilicet impedit medicamentorum operationem. Quin imo in dyſentericis poſt vomitum ſupervenientem mortuis ſæpius ventriculus habuit veſtigium gangrænæ. Singultus ſi in progreſſu morbi ſuperveniat, raro ad ſanitatem redeunt ægri: imminent enim convulſiones, & afficitur ſyſtema nervoſum. Puſtulæ nigræ poſt aures erumpentes, ſitique magna urgente ægris ex monito *Jonſtonii* nullam recuperandæ ſanitatis ſpem facere poteſt Medicus. Alvi fœces invite ſi elabuntur, peſſimum eſt, & emorientē notant vim excernendi. Excrementa vero cum meliorem induunt faciem, cum ructus acidus, & ventris ſuperveniunt crepitus, mens eſt ægro erigenda conſentiente. *Hippocrat.* VI. *aphor.* 1. archæum enim jam eſſe aliquo modo placatum, denuoque incipere coctionem iſta innuunt. Critica etiam dyſenteria, aliis ſæpiſſime quæ ſupervenit morbis, judicatur bona; dummodo brevi ſiſtatur, juxta *Hippocr. 6. aphor.* 8. ſurditatem hinc ſolvens 7. *aph.* 3. & inſaniam 7. *aphoriſmor.* 5. Aſt diu ſi perſeveraverit: vita privat hominem *6. aphor.* 43. Ægrotantium ita dum adſtamús lecto: quid valeant eorum humeri, quid ferre recuſent, elucet. Atque ex ægrorum viribus quoque dyſenteriæ eventum præſagire licet. Mulieres ſcilicet gravidæ, ob inſigne tunc naturæ robur, raro moriuntur, alias vero ob mollitiem, viriumque dejectionem faciliorem: pueri quoque ocyſſime vitæ jacturam facere poſſunt, in effectu dyſenterico, ob humorum abundantiam, mollitiem corporis & faciliorem humorum in inteſtinis putrefactionem. Ea de cauſa *Corn. Celſus* inquit p. 74. *Prodeſt in hoc morbo: ſi jam ætate aliquis proceſſit.* In primis infantum dyſenteria, cum vomitu, & vermium ejectione conjuncta, plerumque lethalis eſt, *Sennerto* teſte *tract. de dyſenteria.* Nec ſenioribus ſæviens hoc malum filum vitæ promittit longius. Namque humores in ſenibus nimis ſunt acres: & vitæ lampas parum in illis habet olei reliquum.

XXXVI.

Duratio & eventus dyſenteriæ pro ratione cauſarum, ſymptomatum,

tum, ipſiusque ulceris variant. Quatuordecim enim dierum terminum vix contingit, rarius tranſcendit, exquiſita dyſenteria. Ea propter ad morbos refertur acutos: qui ultra hoc tempus non durant. Inteſtinorum etiam carnoſior tunica conſolidationem, eorundem interior tunica cicatricis inductionem admittere non recuſant: præprimis, ſi ægro hactenus vires fuerint integræ & natura robuſta. Quod ſi vero in ulcus deſinant ſordidum: diutina purulenta dejectione ægri conſumuntur, & tandem extinguuntur. Vel etiam dyſenteria inducit hydropem, facta nempe colliquatione ſanguinis in ichores aquoſos. Aliquando dyſenteria, ſubducto partibus nutrimento, terminatur in tabem; ſi id, quod abſumtum eſt, non reſtauretur, ſanguis potius redditur uſque acrior, atque adeo ad nutritionem plane ineptus.

XXXVII.

Iis, quæ ad dyſenteriæ indolem plenius cognoſcendam pertinent, traditis, ad ipſam hujus morbi *medelam* recto nunc pede procedimus. Nititur autem *medela indicationibus* ſuis, ceu fulcris firmiſſimis. Earum prima eſt *curatoria*. Hæc morbum ipſum reſpicit, & jubet inteſtinorum unitatem exulceratione ſolutam reparare, mundandis inteſtinis, partibus etiam amiſſis per ſarcotica & epulotica reſtaurandis. *Præſervatoria* corrigit cauſas, exulcerationis vi pollentes, inhibet acrimoniam ſalinam per medicamenta, eam abſorbentia, malignitatique reſiſtentia. *Vitalis* viribus bonis conſervandis, & languidis reſocillandis, ſtudet, erroreſque commiſſos corrigit. Materia præſidiorum, qua indicationibus his ſatisfacere poſſumus, ex uſitatis fontibus ex *Chirurgia*, *Pharmacia* & *Diæta* deſumitur.

XXXVIII.

Et *Chirurgia* quidem *venæſectionem* ſuam nobis commendat. An vero V. S. fluxibus dyſentericis ſit accommodata: de eo in diverſas abeunt ſententias auctores *Galenus* 4. *de victus ratione in acutis*, *Martianus comment. in libr.* Hippocrat. *de rat. vict. in acutis & alii.* V. Sioni nullum concedunt locum. Alii contra uti *Altimarus de med. hum. corp. cap.* 74. *Trallianus l. c. Foreſtus libr.* 22. *obſ.* 34. *Riverius item cent.* 1. *obſ.* 64. *centur.* 2. *obſ.* 44. *&c.* eandem commendant: & cum fructu fieri affirmant. Hoc auctorum diſſidium nobis innuere videtur non in qua-

vis dyſenteria V. Sionem eſſe concedendam, ſed pro diverſa dyſenteriæ ratione modo admittendam, modo intermittendam eſſe: magis præcavendi quam curandi fine. Nempe ſi ſummus ſit plethoricus ſtatus, ſi febris ſit vehementior, aut ab inflammatione partium interiorum, ab eryſipelate, aut phlegmone affectus ſit productus: mature eſt inſtituenda V. S., tam quidem larga manu, ut efficax ſit illa evacuatio & revulſio. Vena quoque tum diverſis vicibus eſt ſecanda, ſi vires dyſenterici nequeunt ferre evacuationem copioſi ſanguinis ſimultaneam, vel ſi ægri conſuetudo, aut aliquid aliud ſuadeat iteratam paucis ſanguinis emiſſionem. Ad quæ omnia attendere oportet Medicum. Sed in principio ſtatim inſtituenda eſt evacuatio viribus adhuc integris. Quæ enim, dyſenteria jam confirmata, inſtituitur V. Sio: parum prodeſt. Dyſenterico quippe malo nihil tum amplius per V. Sionem detrahitur: cum id jam inteſtinis inhæreat firmiter. Imo parum abeſt: quin potius ex ipſis ſanguinis conceptaculis, melior, floridior, & temperatior ſanguinis portio in iſto caſu exhauriatur magno cum ægri damno.

XXXIX.

Frictiones lenes partium exteriorum, per pannum aſperum in loco calido inſtitutæ, ſpem ſuperant efficaciâ. Miaſma enim malignum ad corporis externam ſuperficiem alliciunt, poroſque, ut excerni queat, aperiunt: quin imo ipſum irritatum, turbatumque demulcent archæum.

XL.

Fons *Pharmaceuticus* varia remediorum ſubminiſtrat genera, cuivis indicationi appropriata, idque ſub gemina potiſſimum claſſe, *evacuantium* ſcilicet & *alterantium* univerſalium & particularium. Hic jam primo ſeſe offerunt *evacuantia*: cum morbi cauſam exturbent. Inter evacuantia vero *lenientibus* primus debetur locus: quibus è primis viis & inteſtinis humores ibidem ſtabulantes, ſuique infeſtam inibi deponentes memoriam, leniter expelluntur, antequam à cauſa morbifica gravius lædantur inteſtina. Et ſtatim quidem in principio, hæc medicamenta in uſum ſunt vocanda: niſi ſymptomata gravia, malignitaſve diſuadeant, ſi enim malignitas adſit, plurimum nocent laxativa. Quin etiam tum, ut fermentativum miaſma eliminetur potius, elabo-

elaborandum eſt : Quod ſi autem nulla adſit malignitas blanda eligamus lenientia, ut quod in pluribus egeſtionibus cum dolore & archæi labore exitum affectat, breviori tempore & minori cum moleſtia elimінetur citra inteſtinorum majorem irritationem. Atque, ut irritatio inteſtinorum eo magis caveatur: ea eligantur lenientia, quæ poſt blandam evacuationem levem relinquunt adſtrictionem. Quia enim hujuſmodi lenientia pariter obtinent vim adſtringendi: hinc ea ad compeſcendum dyſentericum fluxum plurimum conducere, experientia docemur. Pro hoc ſcopo eminent rhabarbarum crudum, & leviter toſtum (Per ſiccationem enim partes ejus volatiles exhalant atque tum ſubſtantia terrea ſtyptica minus laxat) mechoacanna, myrobalani, tamarindi, & ex his parata varia, ſyrupus de cichoreo cum rhabarbaro. &c.

X L I.

Vomitoriorum ſumptio quantumvis aliquibus indifferenter placeat: nos tamen ab illis abſtinere malumus, ne materiam peccantem verſus inteſtina ſuperiora, & adventriculum, ex inferioribus retrahamus, ſummo cum fervore. Ventriculus enim quo magis furit: eo major morbi eſt ſtatus. Aliter autem res ſeſe habet: cum ex pharmaco maligno, vel veneno ſumto dyſenteria promanavit, vel cum ſaburra corruptorum humorum in primis viis, inque ventriculo reſtagnat, cum æger ad vomitum proclivis eſt, & circumſtantiæ alię conſentiunt, tum non improbamus uſum vomitorii. Siquidem *ſponte* etiam *ſuperveniens vomitus diuturno alvi profluvio, profluvium alvi ſolvit ſect.* VI. *aph.* 15. Mitioribus tamen utimur emeticis in primo morbi exordio ex antimoniatis correctioribus, manna vomitiva, ol. amygd. dulc. cum decocto hord. vel cerevíſia aut aqua tepida &c. & quæ ſunt alia quæ ex re medica peti poſſunt.

X L I I.

Clyſteribus maximum hic debetur encomium. Commodiſſime inquam ſummoque cum fructu clyſteres dyſentericis applicantur: colluvies ſi morboſa in inteſtinis ſubſiſtat inferioribus & craſſis, aut ſi teneſmus urgeat. Eluunt enim clyſteres & detergunt inteſtina, aciem particularum obtundunt ſalinarum, acrimoniam mitigant, inteſtina conſolidant, imo vero plenis ferme viribus ſtatim ad locum affectum perveniunt. Materia medica exhibet nobis eorum ingredientia plurima:

ex quibus parari ſolent. Abſtergentes ingrediuntur chamomilla, alth. glyzyrrhiz. dictamn. alb. hord. mund. ſaccharum rubr. &c. Ex mitigantium, & conſolidantium ordine ad clyſterium compoſitionem pertinent, herbæ vulnerariæ, alchimilla, plantago, ſanicul, hyperic, verbaſc. virg. aur. hedera terreſtr. pyrola, piloſella, pimpinella. flor. item roſ. rubr. rad. biſtort. tormentill. ſymphit. Virtutem ſuam eximie exerit in hoc affectu lac. chalybeatum cum terebinthin. maritatum. Dolores enim lenit, & exulcerationes abſtergendo ac glutinando ſanat. Sanguis quoque calidus injectus mire compeſcit fluxum.

X L I I I.

Diaphoretica, & quidem bezoardica, non ſalina, apprime juvant & reliquis omnibus palmam præripiunt in omni dyſenteria epidemica præſertim. Siquidem corpus reddunt perſpirabile, ſanguinis, *σύςασιν* & *κρᾶσιν* conſervant, humorum influxum invertunt, acrimoniam eorum mitigant & abſorbent, miaſma peregrinum coërcent & diſpellunt, & quod archæo inſidias ſtruxit radicitus eliminant. Adſtringentia quippe qua talia hic exulent, cum nihil valent in epidemica inprimis dyſenteria, cum adhuc urgeat irritatio & removenda potius eſt ſpina hæc: Si enim adſtringatur alvus, anxietates præcordiales & jectitationes ſuperveniunt. Principium proinde curę fiat a ſudoriferis. Varia proſtant huc quadrantia ſimplicia: è quibus compoſita fieri queunt magiſtralia uti ſcordium, angelica, ſcabioſa contrajerva. item terr. Lemn. ſigillat. corall. unicorn. foſſil. lap. bezoar. uterque &c. Non contemnendi quoque eſt uſus antimon. diaphoret, bezoard martial. mineral. quibus adnumeranda C. C. c. & ſine igne, hepata viperarum cum nervinis, cinnabarinis ſociata, theriaca *Andromachi*, mithridatium, diaſcordium *Fracaſtorei*. Similiter etiam laudes ſuas merentur pulv. ſaxonic. bezoardicus *Sennert*, *Michael*, *Wedelii*, eorumque tinctur & eſſentię bezoardicæ. ſpiritus & liquor terræ ſigillatę, aqua theriacalis & elixir P. P. *Paracelſi*, extractum theriacale, croci, oleum deſtillat. cinamomi & ſimilia. Tinct. inprimis bezoardica c. ſpirit. theriac. & eſſentia anodyna mixta certe morbum vel aufert vel inſigniter mitigat.

X L I V.

Nec *diuretica* ſunt negligenda. Commodiſſime enim humores noxios

xios divertunt ad vias urinarias. Unde & alvus exſiccatur. Præcipue vero diureticis opus eſt ſi urina, quod ſæpius fieri ſolet reſiſtere obſervetur. Conſtat enim mictu plurimo minui dejectiones, argumento 4. *aphor.* 43. multumque dejicientes, parum mingere. Inſerviunt vero huic ſcopo: quæ ſimul traumatica, traumaticiſque maritata ut lap. 69, herb. capillar. balſam ſulphuris aniſat. ſuccinat, terebinthinat. ſpecies diacumin. emulſiones ex ſeminibus & alia, bezoardicis miſcenda.

X L V.

Accedimus jam ad remedia, tumultuantem fluxum *alterantia*. Hęc abſolvunt ferme omne curationis negotium. Non enim ſufficit cauſam morbi expuliſſe, ſed & proſpiciendum, ne novus hic noſtris ſuccedat ſedibus hoſpes. Id præſtant alterantia. Sanant enim exulceratas partes, confortant debiles, malignitatem arcent, partibuſque novum imprimunt characterem. Proſtat hic & Galenicorum & Chymicorum longiſſima ſeries. Galenica laudantur parata medicamenta cydoniata, myrrhina, è plantagine, biſtorta, conſolida major. ſanguiſorba, pimpinell. ſorb. meſpilis, & aliis, tormentilla inprimis vel in ſubſtantia vel ejus extractum præ reliquis primatum ducit ob vim diaphoreticam & alexipharmacam. Paratur autem, dum radix infuſa coquitur in ſ. q. aqu. ſ. & hinc decoctio inſpiſſatur atque ſic uſurpatur: vel rob. hoc c. ſpirit. vin. extractum denuo inſpiſſatur in pulveriſabile corpus, quod opiatis, bezoardicis, terreis, teriacalibus miſtum inſignem dat uſum. Herb. qq. theæ extractum aqu. ſimpl. vel huic addita lactis dulcis, cocti, calidi, pars quarta *Mandelſloh* ſuo commendat exemplo. Conducit & decoctum vervecis gallin. pellic. ventric. interior. priap. taur. cerv: ſimiliter & gum. arabicum vi alexipharmaca, ex quo cum tragacanta & coralliis fit pulvis dyſentericus *Cratonis*. Argilla rubra fornacum exſiccandi virtute convenit; Hinc ingreditur pulverem antidyſentericum *Knoffelii*. Inſuper & corall. bolus armen, hæmatites, terra catechu, it album græcum, à cane per dies aliquos, oſſibus nutrito ejectum, ac cum lacte caprino, vel ſimplici chalybeato uſurpatum, maxime ſe commendant. Sanguinis leporis & alcis ungulæ laudes habet *Helmontius*. Egregii quoque ſunt trochiſci de carabe a ℈ß. ad ℈j. pulvere hepatum viperarum combinati. Chymicorum curioſitas depromit egregia hunc ad uſum facientia, qualia ſunt ſulphur vitrioli hujusque tinctura, tinctura martis adtring. ſtiptic. lap. hæmat.

hæmat. vitrioli. martis. tinct., corallorum, antiphthiſica *Gramanni.* item eſſentia theriacalis. traumatica *Wedelii* in *Hagendorn.* tr. de terra *catechu* deſcript. ſimiliter etiam ejus pulvis abſorbens & alia experientia crebertima ſatis ſupſerque confirmata. Huc etiam pertinent Sperniol. & arcan. ſmaragd. *Crollii.* ſpecies diamartis *Mynſicht.* crocus martis adtringens ejusque eſſentia. De quorum effectu feliciſſimo teſtatur rerum medicorum ipſa mater experientia. Si à *medicamento purgante* vehementiori excitata fuerit dyſenteria, vel à venenis quibusdam de quibus mentionem fecimus ſuprà th. 18. medicamenta ſunt adhibenda eorum acrimoniam quam maxime temperantia, & ad blandiorem excretionem promoventia, juſcula puta pinguia, olea expreſſa, ut amygd. d. recens expreſſ: emulſiones, butyrum recens &c. Lac reliquis in hoc caſu antecellit antidotis: quia facilius venenis ſeſe jungit, ſpiculaque venenorum viſciditate quaſi ſua ligat: Lactis proinde uſu venena vim ſuam nocentem amittunt.

X L V I.

Symptomata urgentia non minus Medici expoſcunt opem. Atque his anodyna & narcotica utiliter opponuntur. Circa opiata vero univerſum ſtudium in eo oportet: ut iis legitime & caute utamur. Nam ſicut feliciſſimus is eſt Medicus, qui ea adhibere bene callet: ita imprudenter ſumta, multa excitant mala. In noſtro etiam affectu, male ſi uſurpentur, gangrænam inteſtinis accerſunt, & impediendo excretiones, materiamque morbificam in alia loca transferendo, alii morbo dant anſam. Rite vero ſi utaris, ſi des in quantitate exigua, ſi miſceas cum temperantibus ſudoriferis: nulla eſt metuenda materiæ morbificæ metaſtaſis. Imo vero opiata tum egregium afferunt commodum. Naturam enim roborant: ut adverſus inſultus morborum hoſtiles inſurgere feliciter queat, dolores mitigant, alvi fluxum ſiſtunt, nimiam effervescentiam compeſcunt, ſomnumque placide conciliant. Varia ex opio præparata & deſcripta continet *Chym. in A. F. R. beati Rolfincii* cognati mei deſideratiſſimi & *Opiologia excellentiſſimi D. Wedelii* ſuntque laudan. opiatum, magiſterium anodyn. opii eſſent & tinct. cum ſuccis ſpecificis parata & alia: ut de Philon. Roman, requie Nicolai nil dicamus.

Exter-

XLVI.

Externa quoque remedia congrua, internis ſuppetias ferunt: ipſumque vel ulcus curant, vel ſymptomata demulcent. Hunc in finem ventri, abdomini, ipſique ventriculo applicanda ſunt, aut ſedi immittenda, & quidem calida ſecus enim plus nocent. ſcil. linimenta, unguenta, cataplaſmata, emplaſtra, ex verbaſco, hyperico, chamæmel. Rom. abſinth. ariſtoloch. rotund. theriaca ac oleis nuciſt. maſtich. macis. cydon, hyoſcyam, ceræ aliisque cum carminativis. Varia hic extant medicorum remedia egregia. Inter quæ non in infimis ſunt repoſita ſubſelliis empl. ad rupturas *Fernelii*, ceratum ſantalinum, ſtomachicum *Galeni*, cerat ſtomachic. *Auguſtan.* diaphœnic. ſtyptic. *Mynſichti*, de cruſta panis, maſtichin. quæ oleis convenientibus malaxata umbilico imponantur. *Keſlerus* ſuadet emplaſtrum ex theriac. Andromac. ℥ß Vitriol. Mart. ʒß invicem ſubacta, panno inducta & umbilico impoſita. *Hartmannus* commendat empl. è theriaca & terra ſigillata paratum. *Agricola* huic addit croc. aſtrin. c. extracto tormentill. ſubactum in form. empl. *Rulandus* ſacculos facit ex fol. querc. furfur. flor. chamomill. verbaſc. quibus feliciter ſummo cum ſucceſſu eſt uſus. Omentum vervecis calidum, aut cutis, recenter extracta vel per ſe, vel cum oleo hyperic. calefacta, dolorem læniunt, ſimulque alvi ſiſtunt fluxum calide epigaſtrio impoſita auctore *Amato Luſitano* centur 6. obſ. 2. Suffimenta multum hic quoque præſtare poſſunt: fiuntque ex verbaſco juxta *Mynſicht.* ex thure, ladano, maſtiche, ſuccino, baccis juniperi ut & ex C. C. & aliis prunis injecta, per infundibulum exhalans fumus ſede exceptus egregius eſt, & teneſmo maxime prodeſt: pro quo & fomentum ex lacte, calido commendamus. Formulas materiæ medicæ addere noluimus; cum potius ad lectum, quam ſic in genere ſunt præſcribendæ: ſiquidem circumſtantiæ variant curationem in noſtro præſertim affectu. Adornandæ proinde ſunt: ut ſubjectum, & ſymptomata urgentia poſtulant; Qui fontem novit: facile rivulos inde inveniet.

XLVII.

His peractis paulatim vela contrahamus. Pergamus ad *Diætam*, perquam ſalutare Medicorum præſidium. Cujus ſi nulla habeatur

 ratio

ratio in noſtro potiſſimum affectu : fruſtra adhibentur quævis generoſa remedia. Recto autem obſervato dietæ ordine non paucos hactenus è gula dyſenteriæ ferociſſima fuiſſe ereptos præter rationem, altera Medicinæ columna, evincit experientia. Et quidem primo omnium acceſſus Medicorum in curando ſedulus efflagitat temperatam *aëris* conſtitutionem. Non vult eam eſſe nimis vel calidam vel frigidam : ne calorem angeat febrilem, aut frigus noceat viſceribus, poros conſtipet, malignisque ibi contentis vaporibus prohibeat exitum. Purus etiam ſit aër, peregrinis fœtidis particulis non inquinatus : quod ſi particulis hujusmodi venenatis fuerit infectus, corrigendus eſt oleoſis & ſale volatili præditis. Illa enim partim per oleoſitatem acres particulas obtundunt, ac leniunt; Partim ſuo ſale volatili acidas infringunt, corrigunt, tandem ſpirituoſitate ſuâ eas temperant. Quæ id afficere valent : ſunt roſmar. ſtoechas, ruta, ſabina origan. puleg. majoran, laurus, juniperus, item maſtiche, thus, myrrha, ſtyrax, ſuccin. benzoe, flor. ſulphuris ligu. aloës &c. quæ apta ſuut ad aërem incubiculo ſuffitus forma alterandum. Id quod *Hippocrates* fecit in peſte. Atque ſic etiam reliqui domeſtici præſervantur.

XLVIII.

Pro egregio ad ſanitatem conſequendam remedio, *alimentorum* electionem, moderatamque ingeſtionem cum *Celſo* qui habet : ſe ſe mox bene habebit. In victu ergo ab acribus quibusvis, à ſalſis, acidis, fructibus horæis præſertim immaturis eſt abſtinendum. Cydoniata tamen & pomata cocta omnino ſunt concedenda. Cibi ad moderatam quoque inclinent frigiditatem, cum calida omnia iis, qui, ſanguinem profundunt, aut profuſuri ſunt monitu *Hippocrat. aph.* 19. *ſect.* v. ſunt noxia. Cibus porro ſit incraſſans & emolliens, inſulſus. Vis aliqua ſtyptica ac glutinoſa in morbi præſertim continuatione accedat. Juſcula parentur ex hordeo, ptiſana hordeacea ex pane albo, & vino cocto, addito vitell. ovor. Confert ſimiliter decoctum extremitatum vervecis aut vituli c. pulvere granor actes. Gelatina item C. C. vel caponis, tum ovum ſorbile ſolum, vel cum nuc. moſchata, butyro non ſalito, ſimilibusque conditum : nec non carnes & juſcula pullorum, agnorum, ſylveſtrium præſertim : iſta enim omnia lentore ſuo totam inteſtinorum faciem ab omni genere injuriarum defendere

dere & conſervare poſſunt. Caro etiam leporis cum pane biſcocto comeſta inſignem hic habet uſum. Vitanda vero ſunt maxime pinguia, tubera, fungi, & de quibus ſupra *th.* 18. diximus, item diſſimilis varius victus : quæ omnia ſeditionem facile excitant. *Potum* quod attinet in illo ſumendo manum commendamus minime largam. Dyſenterici quippe fluxus hoc habent vitii quod ægri ſitiant, & potu nullum accipiant levamen ſed potius lædantur. Ideo ſitis magis eſt fallenda quam ſedanda uti cryſtallo & aliis frigidis. Dyſenterici ſitim tolerantes, bene ſe habent. *Excellentiſſ. D. D. Wedelius* referebat quondam, ſe noviſſe fœminam dyſentericam, nulla alia re, quam triduana ſiti curatam. Sed ſi ægri pocula expetant : detur cereviſia pura & probe cocta, cum nuce moſchata aromatiſata eaque tepida vel calida. Vinum modice propinatum ſtomachum reſtaurat : & in dyſenteria epidemica ſalubre eſt. Vinum præſertim abſinth, Zedoar cardicis & aſtringentibus temperatum, aut cum gnaphalio, biſtorta, vel tormentilla coctum, &c. non ſine fructu præberi poterit.

XLIX.

Qui in uno eodemque lecto *quieti* hærent dyſenterici : eo facilius iratos compeſcent motus, humoreſque pacabunt indomitos. Nemo enim non, amico *ſomno* ſeu noctu ſeu interdiu abſoluto perſentiſcet aliquam dolorum requiem viriumque renovatam quaſi alacritatem. Sperare adeo poterit eo certius, ſe feliciter è ſuo dyſenteræ malo emerſurum.

L.

Verum non ſufficit ſola corporis quies. Animus etiam quieti eſt dandus. *Animi* proinde *pathemata* decenti ſe ſe habeant modo. *Galenus* enim x. *de tuend. ſanitat. c.* 11. non fruſtra dixit. *Et nos non paucos ſanavimus ægros, animi motibus ad debitum modum revocatis.* Nolumus ſane nebulas, & tempeſtates procelloſas, cum ſolis expectanda eſt claritas : careat & mens noſtra denſiſſimis mœroris, iræque caliginibus : quibus corpus diſſolvitur, calor & ſpiritus labefactantur, totius denique ſuaviſſimæ noſtræ harmoniæ εὐτονία frangitur. At-

 que

que hæc de dyſenteria dicere habui. Deus T. O. M. verus animæ & corporis Medicus, benignusque rerum quarumcumque Medicarum largitor, ſit benedictus in ſecula. Sua ille nos gratia porro dignetur, promoveat vocationis noſtræ opera. Sit nobis ſummum in vita & morte præſidium. Sit levamen dolorum atque morborum omnium tempeſtivum in nominis ſui ſacratiſſimi gloriam.

Ad Nobiliſſimum

D. GEORGIUM DIETERICUM SCULTETUM,

De DYSENTERIA

Publice pro Gradu Doctoratus diſputantem.

TOrmina qui primus feliciter Arte reſolvit
Hic tormenta levi cætera tollet ope.
Filius haud minor eſt è corpore pellere morbos,
quam delicta animæ pellere cura Patris.
Nobile par Medicûm, quod vero *ſanguinis* uſu
corporis & mentis noſtra beata facit.

Sic congratulabatur
JACOBUS VALLAN M.D. & P.P.
PROMOTOR.

JAm tua purpureo velamine tempora fulgent,
fulgebit virtus major in orbe tua.
Gratulor hinc dignos Tibi, dilectiſſime, honores
atque tuis meritis proſpera plura precor.

Nobiliſſimo D. Candidato Amico ſuo ſuaviſſimo, honoratiſſimo, ſic collatam gratulatur purpuram
JOACHIMUS KEMPFER. J. U. D.

EſSt hominis corpus ſtructura potiſſima mundi:
corpus & ipſe ſuum toto magis diligit orbe.
Hoc circa ſtudium Medici verſarier omne,
quo bene ſeſe habeat: laudem nomenque meretur.
Certe qui torquent hoſtes tua viſcera, vitam
qui ſubito perimunt: hos eſt repuliſſe decorum.
Multum ergo Medico debemus. Is erigit ægros,
defendit ſanos, ſervat cum prole parentes.
Hoc tibi propoſitum, Frater, congratulor eſſe
Servet eam Dominus mentem, ſtudiumque ſecundet.
Faxit, te multis prodeſſe, & Neſtoris annos
vivere. Quos multa cum laude capeſſis honores:
Laus ſuperatorum morborum multa ſequatur.

Summis in Medicina honoribus
Fratris dilectiſſimi applaudebat,

M. DANIEL SEVERINUS Schultz.

ARdua res, morbos cognoſcere, noſſe medelam,
reddere corporibus ſtatum vireſque priores.
Te, Frater, dignum, deſcendas hanc in arenam,
cenſent Doctores. Acclamo lætus ovanſque.
Quod moliris opus: faciat ſuccedere Numen.
De multis meritus bene, vivas ſerus olympo

Fratri chariſsimo gratulabundus f.

BARTHOLDUS HIERONYMUS Schultz.
J. U. L.

INgenui ingenii vis eſt, *doctiſſime Scultzi*,
Fines inceptis addere poſſe ſuis.
Gloria ſed major fine hoc contingere honorem,
quo labor & virtus *præmia digna* ferant.
Finis opus doctum ſummâ cum laude *coronat*:
virtuti hinc ſummæ *digna corona* micat.
Digna corona micat Tibi, nunc, *doctiſſime Scultzi*,
Quæ Tibi virtutum *præmia digna* ferat.
Macte diu lætus: longa virtute corona
fulgeat: & patrio *ſplendeat illa* ſolo
Splendeat hinc orbi tua laus: tua *fulgeat* urbi
virtus, ſuccedent proſpera quęque precor.

Hæc pauca mente animoque ſincero
gratulabundus apponebat

ZACHARIAS MÖSER Hamb.

PAgina docta tuum monſtrat dilecte laborem,
doctrinam virtus ſedulitate probat.
Exhibet ingenium tua Diſſertatio cultum:
hinc Tibi Doctores præmia lecta ferunt
Pręmia digna tuis addenda laboribus, omnes
cernimus, optantes omnia fauſta fient!
Annuat his coëptis Deus Optimus, illa ſecundet,
ut te Doctorem proſperitate beet.

Hiſce Nobiliſsimo D. Sculteto amico longe dilectiſsimo, cum de dyſenteria docte pariterque facunde diſputaret, gratulari voluit, debuit.

ULRICUS WINCKEL, Hamb.